



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

5. Januarij. Juvenum virtutu periculosa negotia perperam creduntur. S.  
Ignat. apud Bart. lib. 4. §. 37.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

5. Januarij.

*Juvenum virtuti periculosa negotia perperam creduntur.* S. Ignat. apud Bart. lib. 4. §. 37.

**N**Ovitia virtus instar florum est in arboribus, qui ad primos veris calores se celeres protrudunt, sed fluxi adeò, ut penè contactu, vel etiam solo rigidioris auræ afflatu, exarescant.

Teneri humeri sub gravi pondere facilè fatiscunt, & turpi ruinâ produnt inconsultos conatus. Vigor sanguinis audaces facit, sed audacia, nisi rationis fræno contineatur, abit in temeritatem.

Præcox fervor vires atterit, unde fit, ut asinus lassus tandem quærat diverticula, qui, si adfuisset moderatio, diu bonas operas præstitisset, sic prima spes perit in herba.

Inconstantia, & mutabilitas cognatum est homini malum, sed juventuti proprium. Si quid hæc amat, desiderat vehementer, sed non diu.

Festina lentè: rara est celeritatis unâ, & constantiæ prærogativa. Errat facilè, qui

nimiùm properat. Procul iturus, ita principio passum temperet, ut durare possit.

6. Januarij.

*Rarum aliquod & eximium facinus sexcentis vulgaribus longissimè antecellit.*

S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 17.

**U**T res obviæ, quæ ad manum sunt, & facilè passim occurrunt, nec sui desiderium, ut obtineantur, nec obtentæ solatium, creant: ita opera vulgaria numerum, non pretium, faciunt.

In arduo virtus coronam constituit. Eò frustra legnis aspirat, quò nullus eluctabitur, nisi, quem insignis rei gerendæ difficultas manuduxerit. Aude aliquid. Nihil invium est animo forti.

Ponderat Deus, non numerat opera; rem, non censum, attendit. Vide, quid ei offeras? & memento: tuo, ut supremo rerum omnium, Domino, rara, exquisita, & planè insignia esse debere, quæ offerri mereantur.

Nec utilitatem aut paupertatem tuam causare: locuples est Dei gratia, cujus auxilio mira potes, modò adsit conatus, & fervor non deficiat.